

inter nos, & cum jam devictis hostibus consentiamus aut dissentiamus, & ut omni ex parte nostras res in tutò collocemus, experiri tentareque, num ad nos pertrahi, nobisque conciliari & firmò foedere jungi possint. Sunt autem hi vel Sociniani vel Arminiani, quorum, ut res tota expeditius conficiatur, primò indagabimus opiniones.

I. Sociniani itaque, ut à vetustioribus initium faciam, hâc in re sibi non constare videntur: nunc enim soli rationi S. Literas interpretandi partes competere affirmant, nunc Spiritus S. gratiam & opem insuper requirunt. Sic in Cateches. Racov. cap. 3. quando quæritur, *unde tanta discrepancia super intellectu Scripturæ*; Respondetur, *indè quòd homines S. Scripturam vel negligenter legunt: vel non adferunt cor sincerum, & ab omnibus impedimentis, ac cupiditatibus solutum; aut auxilium divinum, id est, gratiam Spiritus sancti, quam Deus omnibus, se propter eam dies ac noctes invocantibus, promisit, non implorant.* Contrà verò Ostorod. Institut. cap. 4. *Si ergo ratio, id est, ingenium, vel intellectus exsertè ostendat Trinitatem Personarum in Deo falsam esse, quomodo unquam homini intelligenti in animum veniret, illam veram esse & verbô Dei probari posse.* Et Smalcius contra Frantsium Disp. 4. De Justificat. *Nulla est Christianæ Religionis particula, quæ cum ratione non conveniat: & quæ cum ratione non convenit opinio, ea etiam in Theologîa nullum locum habere potest.* In quorum locorum duobus posterioribus solius rationis, in priori verò Spiritus S. mentio fit. At verò tum Rationem tum Spiritum sanctum adducit Author *Brevis Disquisitionis contra Valer. Magnum, de Acaholicorum credendi regulâ* (quem Socinianum esse ait, & probat celeberrimus ac doctissimus Theologîæ in Academiâ Lugduno Batavâ Professor Johan. Hoornbeek Socinianism. confutat. tom. 1. lib. 1. cap. 6.) cap. 4. his verbis. *Negandum est, nullum certò assequi verum sacrarum Literarum sensum nisi interius illustratus & doctus sit à Spiritu S. & paulò post, Quocirca omnino necessarium est illi (de sanâ ratione loquitur) & S. Literas intelligendi judicandique facultatem adscribere.* Neque enim tanta est ubique sacrarum Literarum obscuritas. *Quid? adeò clara quædam sunt, ut à quôvis audiente & legente protinus intelligantur.* Obscuriorum autem locorum explicatio non est omnibus necessaria. *Quod si quis tamen serio quærat, Spiritus S. ope investigabit.* Et hoc ipsum quod intelligit, an à Spiritu S. nec ne sit, non nisi rationis sanæ judiciò constare potest. Neque enim donum illud Spiritus S. rationem tollit, sed attollit, & illustrat, & quod per se vel non poterat ( quemadmodum in quibusdam Scripturæ locis obscurioribus enodandis appareat ) vel non sine difficultate poterat, id ejus ope possit, aut facilius possit. Nam medium usurpat Spiritus S. ad operationes perficiendas illud, quod in nobis invenit operationibus istis accommodatum. *Quemadmodum ad videndum oculum, ad audiendum aurem meam adhi-*